

tes, & statuentes prout infra patebit. Attendentes igitur, quod ad hoc sunt instituta Ecclesiastica beneficia, ut per ea Ecclesiis seruiatur, & comperto per experientiam rei, quod in praesentiarum ipsa Ecclesia cathedralis nostra est destituta ministris, & maxime sacerdotibus, qui velint, & possint in ipsa missarum solemniam celebrare, cum nulli in ea sint instituti capellani, sive mansionarii ad celebrationem divinorum in ipsa deputati; sed solummodo dotata sit decem canonicorum numero, & totidem praebendarum, quibus tamen praebendis nullus ordo sacer est annexus de consuetudine, vel statuto, quibusdam ex ipsis canonicis absentibus, quibusdam se excusantibus a continua residentia, & celebratione propter tenuitatem praebendarum, omnibus tamen per nos ad residentiam citatis legitime, & per nos etiam viva vocis oraculo monitis, uno excepto qui agit in remotis, ut per seipsum resident, vel per alios vices suas supplentes in ea resident, & deservirent. Cum ipsorum canonicorum voluntate infra scriptorum, & assensu, ne ipsa Ecclesia nostra debitis servitiis, & honoribus defraudetur, de fructibus, & proventibus ipsius Ecclesiae deputandis, & distribuendis servientibus in ea rigorem juris mansuetudine temperantes de infra scripta ordinatione duximus providere.

Et primo: Cum in ipsa constitutione, de qua supra fit mentio, caveatur expresse sub certis poenis, & censuris latae sententiae, ut canonici dictae Ecclesiae, qui per sex menses anni non fecerint residentiam apud ipsam, tradere debeant libere medietatem fructuum, & proventuum praebendae, quam possidebant massario dictae Ecclesiae, qui fructus, & proventus dentur, & assignentur capellanis executoribus, per quos absentium vices in ipsa Ecclesia suppleantur, qui fructus, & proventus sic traditi ex longa, & vetusta consuetudine loco distributionum hactenus in dicta Ecclesia observata distributi fuerint aliquibus canonicis per se residentibus, & etiam aliis capellanis assumtis in ipsa Ecclesia missas, & alia divina officia celebrantibus: attento, quod nedum medietas ipsorum fructuum, sed nec integer fructus singularum praebendarum sufficerent ad singulorum canonicorum absentium vices suppleendum, ne os bovi alligetur trituranti, & ut ipsorum canonicorum aliqui libentius apud ipsam resident, qui continuo velint, & valeant divinis officis, & missarum celebrationibus in ea vacare, praesenti constitutione in perpetuum valitura statuimus ordinamus, & decernimus, quod omnes, & singuli canonici ipsius Ecclesiae nostrae, qui personalem residentiam non fecerint apud ipsam libere, integre, & sine diminutione de mense septembris dare, tradere, & assignare debeant massario capituli dictae Ecclesiae duas partes fructuum, & proventuum praebendarum, quas possidebunt secundum aestimationem, & tassam singularum praebendarum hoc praesenti anno limitatam, & tassatam per ipsos canonicos nunc praesentes, sive eorum procuratores secundum inventarium omnium bonorum, possessionum ad suas, quas possident praebendas spectantium, & pertinentium de mandato nostro factum, & coram nobis praesentatum, ac in actis curiae

redactum, & in libro, quo descriptae sunt constitutiones synodales registratum; & hoc sub poena excommunicationis, qua hac canonica monitione praemissa ipso facto incurrere volumus omnes, & singulos canonicos dictae Ecclesiae nostrae huic nostrae constitutioni non obediens, & ipsam in dicto termino non observans, nisi forte de tempore quantum ad traditionem dictorum fructuum aliter cum ipso massario conveniretur. A qua excommunicationis sententia ipsos absolvi nolumus, nisi per nos, vel successores nostros, & debita satisfactione praemissa, quod si dicta excommunicationis sententia per duos menses post mensem septembris animo forti sustinerent indurato, ipsos a perceptione omnium fructuum praebendarum suarum canonica monitione praemissa decernimus fore suspensos, usquequo meruerint absolutionis beneficium obtinere, decernentes ex nunc, & statuentes quod fructus taliter suspensorum distribuantur aliis canonicis pro ipso tempore residentibus pro duabus partibus, ut supra ordinatum est; tertia vero pars applicetur mensae capitulari convertenda in usum ipsius Ecclesiae, & quia etiam crescente contumacia, crescere etiam debet poena statuimus, ordinamus, & decernimus, quod si qui forte dictas excommunicationis, & fructuum suspensionis sententias contumaciter sustinerent per sex menses, sint ipso jure privati canonicatibus, & praebendis, quos, & quas in ipsa Ecclesia obtinerent, secundum quod in dicta synodali constitutione continetur.

Item quia ex tenore supra scriptae constitutionis synodalis, ut rerum experientia docuit, jam exortae sint dissensiones inter ipsos canonicos, & exoriri possent etiam in futurum, imo quod minus tolerandum est ipsa Ecclesia pati posset omnimodam destitutionem servitorum, cum aliqui ipsorum canonicorum pro tempore se absentantium, & pro tempore in civitate residentium dicentes se satisfecisse supra dictae constitutioni, nolentes de fructibus praebendarum suarum residentibus, & servientibus aliquid impertiri, ut dissensionum omnis materia tolleretur, statuimus, & ordinamus sub poenis, & censuris supra scriptis, & modo praemissis, quod omnes, & singuli canonici, qui personalem residentiam non fecerint deserviendo in ipsa Ecclesia per sex menses continuos praecedentes kalend. septembris, illos incipiendo quodcumque placuerit, dummodo inserviendo sint continui, censeantur, & reputentur, ac si per totum annum forent absentes. Quive post dictorum sex mensium residentiam se aliquo tempore absentabunt pro tempore, quo fuerint absentes, teneantur, & debeant pro rata tradere, & assignare massario dictae Ecclesiae, secundum quod superius ordinatum est, declarantes quod residentia alicujus temporis anni ipsos excusare non valeat a traditione, & solutione partis contingentis pro tempore, quo erunt absentes.

Item cum unicuique sit secundum laborem de mercede providendum, oneraque inaequalia non sint aequa mercede pensanda, intelligentes, quod honor, & decus ipsius Ecclesiae nostrae plurimum residet in onere, & obligatione celebrationis missarum statuimus, & ordinamus, quod si aliquando contingat